

III. Utilem, quæ ex incarnatione  
Domini & Salvatoris nostri JESU  
CHRISTI proficitur in nos, quan-  
tum potero, breviter perstringam.

Sit, queso dulcissime puer JESU, lingua  
mea calamus scribæ velociter scribentis. ψ 45.  
Meditatur enim cor meum verbum bonum,  
dicam opera mei Regis.

## DE I. LOCO.

*Factum est autem in diebus illis.*

Facit Evangelista Lucas in describen-  
dâ Nativitatis Christi historiâ mentio-  
nem multarum circumstantiarum, ut ex  
illis probet, Christum verum Messiam  
ac mundi Salvatorem esse. Vult autem  
ita argumentari :

In cuius nativitate omnes circumstan-  
tiæ, de Nativitate Messiae prædictæ, im-  
pletæ sunt, *Ille est Messias.*

In Christi nativitate omnes circum-  
stantiæ impletæ sunt. *Ergo Christus est  
Messias.*

Maximam partem hodierni Evange-  
lij Evangelista consumit in probatione  
Minoris, atq; primo meminit temporis.

I. *In diebus illis, &c.* postquam puer  
Joannes cresceret, & confortaretur spi- Lucæ 3  
ritu : *Exiit*